



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Diff. IV. Solvuntur Argumenta ex locis magis Philosophicis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

primum proximum requisitum ad ipsum Actum secundum liberum, quod utique tam est impossibile, quam impossibile est, Actum secundum posse esse, sine actu primo proximo, quem essentialiter præsupponit. Seq. autem probatur, nam auxilium pertinet ad Actum primum proximum, tam ipsius consensus quam dissensus, atqui auxilium esset impedibile per dissensum, quia scilicet si Deus videret dissensum sub conditione ponendum, non daret hoc auxilium. Ergo actus proximus esset impedibilis per actum secundum.

RESPONDETUR. Admissa scientia conditionata, posse quidem hominem impedire actum, primum proximum sed ita ut simul sequatur impedito actus secundi unde auxilium illud esset impedibile per dissensum, nec Deus daret hoc auxilium si videret dissensum, sed nego quod si daret adhuc, tunc fieret consensus.

DIFFICULTAS IV.

Solvuntur Argumenta ex locis magis Philosophicis.

OBJICIT 1. Joan. a. S. Thoma quam etiam objectionem pluribus urget Oviedo Ph. Cont. 10. p. 4. Quia non potest explicari scientiæ conditionatæ objectum, nam per illam Deus nescit, quod v. g. Petrus faceret hoc, si in tali occasione poneretur, & similiter si haberet concursum Dei exhibitum; posito autem concursu ex parte conditionis, objectum reddetur necessarium: si enim ponatur concursus Dei est æternè verum, quod talis effectus fiat.

RESPONDETUR. Concursum Dei dupliciter nos spectare posse. 1. In actu primo, & sic spectatus est indifferens ad utrumlibet; est enim ipsamet omnipotentia, hic & nunc, ad utrumque parata, ex iis quæ voluerit creatura: ex tali concursu non sequitur, ut necessariò fiat etiam conditionatè objectum; & talis concursus ingreditur objectum scientiæ conditionatæ, adeoque nec illud reddit necessarium. 2. Potest spectari concursus Dei in actu secundo formalis, exercitus, secundum sua connotata spectatus, & sic dicit ipsamet operationem creaturæ; sic spectatus concursus est necessarius, sed ex suppositione; sicut est necessaria ex suppositione, ipsamet operatio, sicque spectatus concursus non ingreditur per modum causæ ipsamet objectum scientiæ conditionatæ, utpote cum sit idem cum ipsa operatione, alias objectum illius scientiæ haberet hunc sensum: Erit operatio creatæ Petri: quia erit operatio creatæ Petri ex parte Dei. Objectum autem illius scientiæ, directè dicimus, esse ipsam operationem conditionatam liberam; cuius causas, si quæras? dicimus esse, ipsam voluntatem conditionatè operaturam, & ipsum concursum Dei in actu primo

indifferentem, quoad esse acturi, eò quod possit illo non uti creatura. Dixi esse indifferentem quoad esse acturi, non autem quoad esse activi; quia illud primum, dicit exercitium ipsum, quod potest non sequi, posterius dicit vim agendi, ad quam habendam ille concursus non est indifferens. Ad alia solvenda

NOTO 1. Indeterminatio, quæ nascitur ex defectu virtutis agendi dicit imperfectionem, & potentialitatem ad activitatem; sed indeterminatio ex contemperatione ad libertatem, non dicit imperfectionem, cum salvare libertatem quod est annexum causæ primæ, non sit imperfectio. Quamvis autem ille concursus non sit magis connexus, v. g. cum dissensu in ordine ad securitatem, potest enim non sequi; est tamen magis connexus in ordine ad vim agendi: quia v. g. auxilium concursurum ad amorē Dei, non habet vim concurrendi ad odium Dei; confert autem ille concursus non tantum ut videatur conditionata operatio sub formalitate libertatis, sed etiam ut videatur sub formalitate determinatæ, eò quod illa determinatio voluntatis, non fiat sine concursu Divino.

NOTO 2. Immerito imaginari obicientem, quod concursus pro statu absoluto in actu primo spectatus, non offeratur adhuc indifferens; licet enim concursus in actu secundo non sit concursus indeterminatus, utpote identificatus operationi per Nostros, cum limitationibus jam additis, nihilominus ipse concursus in actu 1. spectatus, potest esse ad utrumlibet; immo etiam hæc propositio pro statu absoluto, concurret Deus cum Petro ad consensum; Ergo consentit; est propositio nonnisi ex suppositione necessaria, ex qua suppositione etiam in statu conditionato, erit necessaria propositio conditionata, quæ suppositio non tantum non destruit libertatem; sed est requisita, ut determinatè unum nonnisi tanquam verum, possit attingi extremum.

NOTO 3. Debere necessariò præintelligi, quod Deus nolit subtrahere concursum, si creatura velit; determinationem plenam relinquendo creaturæ, & quidem si sit ordo supernaturalis gratiæ adjunctæ, qui concursus ex suppositione, sit determinatus. Unde ulterius dicimus, quod ante exhibitionem sui concursus, non videat Deus etiam conditionatam operationem creaturæ; quem tamen ne temerè exhibeat, dirigatur à scientia, ut dixi, simplicis intelligentiæ, nec facit fortuito: quia facit ex exigentia tituli causæ primæ, nec exponit se periculo frustrandi illius concursus; quia ille nec ex suppositione antecedenti, nec ex consequenti est determinatus ad unum, quomodo ergo dicendus erit frustrari? cum frustratio sit nonnisi determinati. Tota autem hæc indifferentia & indeterminatio in concursu, non est indeterminatio in ratione Entis, sed in ratione acturi.

OBJICIT

Objicit 2. Nazarius; Scientia hæc conditionata est aliquo modo per nos libera; libertas illius salvari per hoc, quia objectum illius non est necessarium; ita autem libertas scientiæ Divinæ salvari non potest, quia libertas Divina non dependet à rebus.

RESPONDETUR. Libertatem Divinam entitativè & elicitive non pendere à rebus, pendere terminativè, qualis nexus habetur etiam in Omnipotentia respectu creaturarum, & in scientia simplicis intelligentiæ respectu possibilium. Ad alia circa eundem terminum solvenda.

NOTO 1. Quod libertas Divina non tantum sit causarum indifferentium, sed etiam versatur circa objecta indifferentia, licet ab illis, non pendeat, tanquam à causa, sed tanquam à termino, ut pendet Omnipotentia, scientia simplicis intelligentiæ &c. à suis terminis. Immo quod Deus sit causa rerum id ad præsens non spectat: sicut enim homo aliquid liberè nescit, si sint objecta non necessaria, licet illorum causa non sit applicando scilicet se liberè, ad penetrandum contingens objectum; ita posset facere & Deus. Nec inde sequitur Deum non esse primum Ens, & Ens se totum, sicut nec sequitur id ex connexione Omnipotentiae, & scientiæ simplicis intelligentiæ cum suis terminis, præcipuè cum hoc ly primum, & ex se Ens, non hoc importet, quod Deus alia à se noscere non possit; sed quod à nullo, sit positus principio. Et certe si nolimus de verbis disputare, dependere notitiam Divinam, vel potius connecti cum creatura, creaturæ terminari, nihil aliud est, quam quod noscat, & attingat creaturam.

NOTO 2. Quæ adfert de relatione consequente operationem Divinam, tam immanentem, quam transeuntem subobscura sunt; clarius loquendo videtur hoc velle, quod scilicet actualis relatio prædicamentalis, quam habet Omnipotentia ad creaturas, exigit existentiam illam actualem, quam existentiam actualem non exigit, v. g. Intellectio Divina. Sed universaliter falsum est, quod nulla intellectio Divina requirat existentiam quandocunque actualem; requirit enim illam scientia visionis; sed hoc probari non potest, quod possit esse aliqua relatio ad creaturas, qualis est in notitia noscente creaturas, quod inquam possit esse sine termino, qui v. g. sint creaturæ. Et si per illum potest effectus dependentia in actibus transeuntibus Divinis, cur non poterit esse in actibus immanentibus? cum nullibi hæc connexio importet dependentiam Dei à creaturis, quæ sit dependentia causalitatis.

NOTO 3. Universaliter scientia pendet ita à possibili, tanquam termino, sicut mensura à mensurabili; & sicut posita cognitione Chimæræ, non est necesse rationem realem referendi, esse in ipso termino non existente, immo impossibile, ita nec id requiretur in aliis relationibus co-

gnitionum ad scibile, quod etiam contingit in omnibus relationibus transcendentalibus, quæ ad suum esse, non deponunt existentiam termini. Bene etiam dici potest, quod objectum habeat rationem mensuræ aliquo modo respectu scientiæ, sicut enim si res vel longior vel curtior sit, non est commensurata huic mensuræ, nec mensuratur hac mensuræ; ita si prædicata pauciora vel plura, vel alia, notitia perfectissime noscens importet, non erit huius objecti notitia, unde objectum, scientiam illam adstringit, ut non nisi hæc prædicata in se noscat quæ præhabet in se objectum.

Objicit 3. idem. Omnis actus causæ intellectualis provenit ab ejus potentia, vel ut natura est & ad unum determinata, vel ut libera est; Si primo modo procedat, est scientia necessaria; Si secundo, est libera: qui ergo dabitur locus scientiæ conditionatæ tanquam mediæ?

RESPONDETUR. Quidquid sit de formalitate mediæ, actus scientiæ conditionatæ erit actus causæ intellectualis liber, non quidem liber antonomastice, hoc est, attingens objectum post decretum; liber tamen, hoc est, attingens objectum, quod poterat non esse.

URGENT etiam solet, quod hæc scientia tollat libertatem, eò quod interat infallibilitatem, & quod antecedit nostram operationem. Sed communis responsio est, quod non tollat libertatem, eò quod antecedit durationem, sed non suppositionem, cum procedat non nisi ex suppositione conditionatæ operationis, ad quam conditionatè erat homo liber.

Objicit potest 4. Ex iis quæ sibi opponit Esparza q. 18. Cognoscens conditionatè aliquid apprehendit ad modum existentis conditionatè, quod re ipsa non existit; dum enim dicitur ly: si existeret talis vocatio, particula si, ad hoc adhibetur, ut significetur, talem vocationem non existere, seu præscindi ab eo, quod sit verum an existat, vel non existat à parte rei; & tamen apprehenditur ad modum existentis, & sumitur ab intellectu tanquam existens; Ergo in intellectu judicante purè conditionatè, datur necessaria fictio aliqua, saltem secundum quid, & apprehensiva; repugnat autem Deo fictio, utpote cui competit perfectio, cognoscendi stans in conformitate cum objecto, adeoque excludens fictionem.

RESPONDETUR. Deum cognoscere illam conditionem non per modum existentis absolute; hoc enim esset illum fingere, cum de facto absolute non existat; cognoscit tamen illam conditionem conditionatè existere, dicendo; si existeret, quod non est fingere, sed conformiter objecto res noscere.

Objicitur 5. apud eundem. Nemo ita desipere potest, ut concipiat judicia & decreta conditionata, simul cum absolutis, circa eandem rem, atque pro iisdem circumstantiis: quis enim

R. P.
H. MŁOD
Janowski
Tom I, k. 2:
D. VI
S

enim ita desipiat, ut cum intueretur lucentem Lunam, simul diceret, si luceret Luna, eam intuerer? Deus autem habet simul decreta absoluta circa omnia & singula creata, nihilque est, quod non intueatur ut existens absolute, vel absolute non existens.

RESPONDETUR. Inprimis ipsum Antecedens indigere sua moderatione; cum enim video Lunam, & dico, video Lunam lucentem, cur etiam simul dicere non possem, quod vera fuerit hæc conditionata, si luceret Luna, illuminaret, vel viderem illam? tunc ergo solum conditionata est stulta, & desipientium, conjuncta actui absoluto, quando conditionata, virtualiter infert negationem status absoluti: quia autem in Divino intellectu conjunctio notitiæ circa futuritionem conditionatam, non infert negationem futuritionis absolutæ; quando illa dari debet; fit, ut actus illi in Deo compati se possint. Rursus adhiberi posset doctrina ipsius Esparza, qui dicit stultum esse adungere cognitionem conditionatam cognitioni absolutæ jam præexistenti re & ratione; secus sentiendum si nulla absoluta cognitio præcesserit. Et sicut si præcessisset scientia visionis importune illi adungeretur scientia simplicis Intelligentiæ tanquam sequens; bene tamen præcedere potest; ita & in præsentia. Denique dici posset, quod re quidem sint illæ scientiæ simul in Deo, ratione autem sequuntur, de qua sequela ita discurrendum est, quasi in re non essent secum, quod in multis aliis contingit.

Plura de scientia hac infra solventur. Aliqua etiam dicta sunt in Logicis. Vide hanc materiam concernentia de Gratia D. 5. q. 3. d. 2.

QVÆSTIO II.

De aliquibus Conditionatis in particulari.

Agemus inprimis de Conditionatis disparatis; deinde conditionatis Actibus voluntatis Div. quos haberet Deus in alia rerum Serie.

DIFFICULTAS I.

De Conditionatis Disparatis.

PRÆMITTO 1. *Esse hæc duo distincta, si hoc esset, illud etiam esset; & quando hoc esset, etiam illud esset:* quod distincta sint. Ratio est, quia unum inquit de tempore, nempe posterius, statque in coexistentia temporali præcise, illud autem prius, non stat præcise in coexistentia temporali, sed attendit ad alia, talisque est conexio, licet libera cum alio. Consequenter aliud est, esse cum alio temporaneè, & aliud, propter aliud: nam esse propter aliud, quamvis liberè operans, dicit causam; esse autem quando aliud est, nullo modo id importat.

PRÆMITTO 2. *Conditionata connexa atten-*

dere ad ly si esset, & ad ly propter illud esset, liberè concurrens, immo ex hoc ipso fundamento dicuntur connexa, distinctaque à disparatis; conditionata autem disparata, attendunt ad Quando aliud, & ad Cum aliud. Conditionatorum connexorum exemplum est. Si ingressus fuerit Petrus atrium, negabit, ubi hypothesis ingressus, dicit aliquam occasionem, connexionem cum negatione, potestque illud si explicari per quia; licet non explicetur per Ergo: quia non habet immutabilem & eandem ubique verificationem. Secundi autem exemplum est, si Turca dormit, Petrus convertetur.

PRÆMITTO 3. *Illud Quando aliud, interdum habet rationem Propter quod;* ut si Deus faciat decretum, si dormiat Turca, contritionem haberet Petrus, & tunc non quidem præcise ratione conditionis disparatæ, sed propter circumstantiam decreti, & ex accidenti illud: Quando, & Cum hoc, transibit in vim Propter quod, eritque jam propositio quæ transibit in connexionem, supponendo quod fiat decretum contemperatum libertati.

PRÆMITTO 4. *Ly Quando aliud, vel Cum aliud, cum habet rationem mere disparati, nullo scilicet interveniente decreto, adhuc duplicem potest habere sensum: inprimis copulativum, v. g. & Turca dormiet, & Petrus leget, & tunc alterutra parte non posita, falsa erit propositio; nam conjunctæ propositionis verificatio, utrumque membrum requirit. 2. Potest habere sensum non attendentem ad copulationem, sed præcise ad temporaneam disparatorum coexistentiam respiciendo. Et de his in præsentia, procedit quæstio. Affirmativam tuentur, Suar. Fons. & post illos Ruiz. d. 78. Arriaga, cum certis limitationibus d. 21. f. 7. Negat Vasquez hic d. 67. c. 3. & 4. Lessius, Arrubal, Albertinus, probabiliusque reputat Falsolus, q. 14. Num. 252.*

PRÆMITTO 5. *Ly: Quando aliud, vel: Cum aliud, potest apponi duplicis generis propositionibus: inprimis propositionibus, quæ sunt aliàs objectum scientiæ simplicis intelligentiæ, vel visionis, ut si dicas, si homo erit rationalis, bos erit rugibilis; Vel: Si Turca osecitabit, Petrus sitiet, & tunc de sigillatim acceptis propositionibus non est difficultas, cum prima noscatur per scientiam intelligentiæ, secunda per scientiam visionis. Si autem copulativim accipiantur propositiones, pendebit resolutio ex dicendis. Rursus dictæ particulæ possunt apponi propositionibus, quæ alias sunt objectum scientiæ mediæ v. g. Si Petrus vocatus fuerit vocatione A convertetur, & Paulus si vocatus fuerit vocatione B convertetur. Quod sigillatim acceptæ, sint objectum scientiæ conditionatæ; constat ex dictis supra; sed an sint objectum si simul sumantur, decidendum venit. His præmissis*

DICENDUM 1. *Propositiones Conditionis disparatæ certo nosci à Deo. Præter Auctores citatos*